

Civem, Academiae membrum non credit. Quisquis enim hæc novisse, hæc putasse non dedignatur, simulq; secum reputat illum diem, qui exspirantis nuper anni extremum articulum, inter primos, inchoavit ordine quartus, hoc ipsò sciet, occidisse Patriæ gloriam, Academiae jubar, decus meum, & grande tutamen, æstimatâq; jacturæ magnitudine funesti arguet anni cadaver, qui non simplici clade prægnans, post mille calamitatum genera nobis vicinisq; gentibus immissa, in suo exitu cæteras malorum turbas hoc unò nobilitavit facinore, quod seculis memorandum perenne quidem in fastis nomen inveniet, sed triste illud, atrum & infame. Atque hæc luctus materia est, si quæ alia! Quis

A 3

enim